



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypræus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt II. Sivardvs III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

CAPVT II.

SIVARDVS III. Rex Dania LVII. cum Danis prope Slesuicum apud Selker molam prælium commisit, vti adhuc colles indicio sunt, Et is apud quem belligeratum est Sinus, Siuardi funere inclaruit, dictus Siuersund vel Siuershafen. Obijt anno 846.

REGNERVS è medio sublatus, Filium reliquit Siuardum, qui eo tempore, quo Pater è viuis excessit, peregrè profectus erat. Dani moram pertæsi, duos è stirpe Regiæ, Siuardum nimirum & Ericum elegerunt, qui Regni administrationem & gubernacula susciperent. Quibus rebus commoti filij Regneri, Biornus, Siuardus, & Iuarus, classe nauium mille & septingentarum, eos qui Regno præfecti essent, bello persequi statuunt. Quos in proximo Urbis Slesuicensis adorti, semestri pugnâ deleuère. In quo prælio Siuardus occubuit. Colles locum indicant, vbi conflixerunt, nec minus is apud quem pugnatum est, Sinus, Siuardi funere inclaruit, Saxone teste. Sinus autem ille, cuius Saxo meminit, is est, qui vulgò die *Wick* appellatur, vnde & Vrbs Slesuicum nomen accepit, daß die *Slie* alda hinein weichet / id est, quod *Slia* fluuius sese in illum locum insinuat. Nam & sinus maris, seu partes litorum, propter excursus maris, incuruæ, à nautis nostris ein *Wick* nominantur. Et Saxo libr. 7. portum *Herwig* / Latine Exercituum sinus interpretatur his verbis. Hako in portum, qui Daniae *Herwig* / Latine Exercituum sinus dicitur, classe colatâ, militem exponit, &c. Ita & Sinus *Slia* ab æde Heidebuiensi initium capiens in meridiem vergit, & litus incuruum efficit. Atque ibi pugnatum esse, indicio sunt colles, qui adhuc ad pagum & molam Selkam

Selkam in monte, vbi Sinus desinit, conspiciuntur. (Inciderunt autem hæc circa annum Christi, octingentesimum vigesimum octauum, plus minus.) Nisi quis verba Saxonis de collibus vel tumulis, qui euntibus ad sancti Georgij & Brekelingam, viâ illâ tritâ, quæ in Angliam ducit, sese offerunt, accipienda esse existimet. Quorum magnus est numerus in territorio Slesuicensi, & extra territorium. Nam & populares nostri, ad exemplum Græcorum & Romanorum, (qui ex lege XII. Tabularum cadauera ex Urbibus efferiebant, & secus vias publicas & militares sepeliebant: Cambden.) antequam Religione Christianâ imbuti essent, iniectâ glebâ & terrâ tumulis, mortuos humarunt, & quidem in campis patentibus. Quos Latini Tumulos dixere quasi Terrâ tumentes. Quò spectat versus,

Quo magis est æquum tumulis mandare peremptos,

Id quoque liquet ex monumento Gormonis Regis Daniæ, quod vir Illustris Henricus Ranzouius *μακάριος*, quondam Vicarius Regius, æri incidi, & suis libris inseri curauit. Et quidem Danos hunc quoque morem vsurpasse, cumque Pyramides ac Obeliscos exstruere non potuerint, olim in memoriam Regum ac Heroum suorum, ex terra coaceruatâ, ingentes moles, montium instar eminentes, statuisset, credibile omnino ac probabile est. Atque illis adeò in locis vt plurimum, quò sæpè homines commearent aut iter haberent, vt in vijs publicis: quò posteritati memoriam clarissimorum virorum consecrarent, & quodammodo immortalitati mandarent. In eum finem, ad monumentum Gormonis, fontem funditus è Saxis exstructum, ex quo indies aqua à circumiacentibus populis hauriatur, itidem fit verisimile. Et ne quis hoc temerè à me dictum existimet, eius rei argumenta & indicia complura à me proferri possunt, quæ in mea tempora inciderunt.

An-

Anno item 1554. in tumulo Vrbi nostræ vicino inuentus fuit pugio duas spithamas longus ex ære vel Cupro fusus. Sagitta item ærea, & alia instrumenta bellica. Quin & calcar æreum viro forti & bellicoso, & fusum Matronæ sedulæ veteres apposuisse constat, vt indicio sunt calcar æreum & fusus Cupreus in huiusmodi tumulis inuenta mihi que exhibita, quæ penes me exstant, & ab hæredibus meis adseruantur. Sed & ossa humana complura semiusta, eodem in loco defossa fuerunt. Quin ex tumulo quodam prope Villam Tuetam sito, vrnæ complures vnâ cum ossibus vstulatis mihi exhibitæ fuerunt, eâ occasione inuentæ, quòd viâ sternendæ arena è monte egereretur. Quibus ego adductus, montem conscendi, spathis que admotis, vrnas vnâ cum ossibus eruendas curavi: quibus adeò abundabat collis, vt vix pedem alicubi poneres, aut spatham imprimeres, quin vrnarum & ossium reliquiæ sese exhiberent, & terrâ coniectæ detegerentur. Huc accedit, quòd colles & tumuli, qui vbique obuij sunt, lapidibus & saxis ingentibus circumcirca septi & redimiti sunt: quod & ipsum magno argumento est, ibi corpora sepulturæ tradita & colles busta esse. In humanis enim corporibus eum morem etiam Græcos seruasse, non obscure indicat Homerus, qui ΙΑΙΑΔΟΣ Ω. de Hectoris sepulturâ verba faciens ita inquit:

Ἐννήμαρ μὲρ τοί γε ἀγίνεοι ἀσπέλορ ὕληρ.
 Ἄλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη φασίμβροτος ἦδ' ἄρ.
 ἧ τότ' ἄρ' ἐξέφερορ θρασυρ Ἐκτορα δακρυχέοντες.
 οἱ δὲ πυρὴ ὑπάτη νεκρὸν θέσαν, οἱ δ' ἐβαλορ πῦρ.
 Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλ' Ἥδ' ἄρ.
 τῆμασ' ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κλυτὰ Ἐκτορος ἔγχετο λαός.
 Ἄλλ' ἄρ' ἐπεὶ ῥ' ἠγέρθηρ ὀμηγερέες τ' ἐγενόντο,
 πρῶτορ μὲρ κατὰ πυρκαϊῆρ σβέσαν αἰδοπι οἶνω
 πᾶσαρ, ὅποσορ ἐπεσχε πῦρὸς μένος. Ἄλλ' ἄρ' ἐπαίλα

Ὅσ' εἶδ'

Ὅς ἔα λευκὰ λέγοντ' ἀσιγνητίζετα, οἳ τὲ
 Μυρόμυθοι, αὐτὸν δεχάτ' εἰβεν δάκρυ παρειῶν.
 Ἡ τὰ γὰρ χρυσεῖα ἐς λάρνακα δῆγμα ἔλόντες,
 παρφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μάλα κοῖσι μ.
 Λίφα δ' ἄρ' ἐς κείλην κάπετον θέσαν· ἀυτὰρ ὑπερθε
 πυκνοῖσι μ' ἄεσι κατισίρειοσα μ' μεγάλοισι.

*Novem dies quidem hi adducebant immensam materiam.
 Ast cum iam decima apparuit lucens mortalibus aurora,
 Tunc extulerunt audacem Hectora lachrymas fundentes,
 Pyrae, summa cadauer imposuerunt, inieceruntq; ignem.
 Quando autem mane genita apparuit roseis digitis aurora,
 Tunc circum pyram inclyti Hectoris congregatus est populus:
 Sed postquam congregati sunt, collectiq; fuerunt:
 Primum quidem pyram exstinxerunt nigro vino
 Totam, quantum occuparat ignis robur: at deinde
 Ossa alba collegerunt fratres socyq;
 Lugentes: tenera autem destillabant lachryma per genas;
 Et haec auream in urnam posuerunt sumentes,
 Purpureis peplis obtegentes mollibus:
 Mox autem in concavam fossam posuerunt, at desuper
 Crebris lapidibus obfirmarunt magnis.*

Anno quoque 1588. cum via illa salebrosa, quae ab
 vrbe Slesuicensi in Angliam ducit, sterneretur, & ex
 colle Vicino terra & arena egereretur, fornax terrae
 cooperta instar furni cruta fuit, faxis & lateribus con-
 camerata, in qua urnae aliquot fictiles, plenae ossibus
 & cineribus continebantur. Ossa autem igne siccata,
 ustulata & indurata fuisse, color & durities non ob-
 scure indicabat.

Atque id genus tumulos ubique locorum videre
 licet, faxis maximis circumdatos, ut eam de re nemo
 dubitare possit.

* * *

B

CA.